

ATHANASII KIRCHERI  
è SOC. JESU

# ARCA NOË,

I X

## TRES LIBROS DIGESTA,

QUORUM

- I. *De rebus quæ ante Diluvium,*
- II. *De iis, quæ ipso Diluvio ejusque duratione,*
- III. *De iis, quæ post Diluvium à Noëmo gesta sunt,*

Quæ omnia novâ Methodo,

NEC NON

*Summa Argumentorum varietate, explicantur, & demonstrantur.*



Z. 131.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE.

ANNO clō Idc LXXV. *Com Privilegiis.*

morum *Asinorum* fertonera, nec ea refugit, etiam morbo affectum.

*Taurus*,  
Est.

*Taurus* sive *Bos* est animal quadrupes mugiens; mugite enim bovino generi



maximè convenit; nutritur gramine, fœno, paleâ, hordeo, aliisque, ex mundis unum. Collo validissimo, unguâ bifida, humano generi utilissimum, non agriculturæ solummodò laboribus; sed & carne sua nos sustentat, lacte alit, corio vestit, cornibus in variis humanæ vitæ usibus nobis servit; undè & *Ægyptiis* in summa semper veneratione fuit, *Bovemque*, tanquam vivam *Osiridis* imaginem innumeris superstitionis cultus ritibus adorarunt. De quibus vide *Opera nostra hieroglyphica*; Dividiturque in varias species; scilicet in *Boves Asiaticos*, *Africanos*, *Indicos*, *Bisontes*, *Uros*; quæ tamen à cœli, & terrestri loci natura, uti in *precedentibus* docuimus, omnem illam varietatem acquirunt.

*Ægyptiis* in summa semper veneratione fuit, *Bovemque*, tanquam vivam *Osiridis* imaginem innumeris superstitionis cultus ritibus adorarunt.

*Monoceros*.

*Monoceros*, sive *Unicornis*, proximè magnitudine, ut *Autores* sentiunt, ad *Taurum* accedit. Verùm cum nullus hucusque inventus sit, qui hujusmodi animal se vidisse attestari possit, ideò nos non immeritò ea inter fabulosa *Plinii* recensemus. Non nescio, multa animalia unicornia, ut *Asinos* & *Capras* in Regno *Tanchem*, *Pegim*, *Canchinchim*, *Rhinoceros*, & in *Africa* *Boves* quoque unicornes reperiri; id

*Monoceros Plinii* non reperitur in natura.



verò unicornem animal, sicuti id *Plinius*, & *Scaliger* aliique describunt, nullum hucusque hisce potissimum temporibus, quo totus Terrarum orbis, si unquam, hoc seculo sane frequentissimè, tum terrâ, tum mari susceptis itineribus lustratus fuit, visum fuisse, mirum non immeritò cuique videri possit. Rursus qui hoc animal Divinis humanisque literis convicti, aliquando fuisse sentiunt, & *Diluvio* perisse, id ex maximæ virtutis cornibus ex terra nullo non tempore effossis, demonstrare conantur, illi pariter hallucinantur; cum *Sacra Scriptura* iis in locis non de certa horum animalium specie, sed de animantibus unicornibus, quorum multa adhuc in *Indiarum* Regionibus cernuntur, in genere loquatur. Ad cornua verò quod attinet, intra

*Rostra unicornium*, que tanto in pretio habentur, *Rostra piscium* semel

terram relicta, illa utique, non cornua dictorum unicornium, sed vel videntur, & efficacia naturæ producta, vel etiam ingentium piscium rostra (qui in ultima Insularum *Gronlandia* stabulantur) à *Danis* noviter detecta, censeri debent; quemadmodum fusissimè in nostro *Mundo Subterraneo* docuimus, quem *Lector* consulat. Asserentes verò, tam celebrem animalium speciem in *Diluvio* periisse, Divinæ providentiæ contradicunt: Quasi verò *DEUS* istiusmodi animal conservare vel non voluerit, vel non potuerit; cum plura

&

& minoris momenti in *Arca* animalia conservavit, uti de Reptilibus diximus; hoc itaque asseverare de Deo, blasphemiam non caret. Non itaque alia ratio assignari potest, illud in *Arca* non fuisse susceptum, nisi quod tale, prout ab *Authoribus* describitur, nullibi in hunc usque diem visum sit. Per *Unicorne* itaque, alia similia huic speciei animalia supra recensita intelligi debent, ut *Sacra Scriptura* Textus scribetur. Ego per *Monocrotem* nil aliud intelligi existimo, nisi



*Rhinoceros*. *Rhinocerotem* animal in naso cornu portans, estque paulo *Elephanto* minus, cum quo & bellum gerit, totum cataphractum.

*Bubalus*. *Bubalus* sive *Bufalo*, vulgo *Bovini* generis, ex mundis unum, animal est



aspectu formidabile. cornibus præduris & inflexis, quibus pretiosa quævis conficiuntur; corollæ precariz, reliquiarum capsulæ, vascula, similiaque conficiuntur; aquis & luto gaudet, ferox animal, nulli, ne quidem conductori, si quandoque irriteretur, parcit, ex rubri coloris aspectu excandescit, caro olim

*Sacris Literis* testantibus, cibus reputabatur delicatus, & inter cæteras carnes, mensæ *Salomonis* deputabatur; hodiè non nisi *Judeis* in escam cedit, inter munda tamen animalia recensetur.

*Alce* animal quadrupes, velox, bifidum, unde & mundis animalibus adnu-



merari potest, flebilem adinstar infantis vocem emittens: *Cervo* majus & hirsutius est; gramine & fæno vivit; ut plurimum in *Lithania* & *Moscovia* sylvarum latibulis deprehenditur; Germanicè, *Elend* à voce flebili: ab Italis *Gran bestia* dicitur, non tam à magnitudine, quàm ob eximiam virtutem, quæ *Epilepticos*, unguâ suâ collo, aliisque membris appensa, sanare dicitur; cujusmodi in nostro *Musæo* videre est.

*Equus* animal quadrupes hinniens *Equus* est, generosum, docile, fidele, hu-



manis usibus maximè aptum, gramine, fæno, paleis, avenâ, hordco alitur.